

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA*

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ quartâ menſis Februarii, anni M. DCC. LXXXVIII.

M. PETRO POISSONNIER, Equite, Regis in ſacro Conſiſtorio Conſiliario, &c. &c. Doctore Medico, Præſide.

An in partu difficili, manu potiùs quàm inſtrumentis utendum?

I.

PARTUS ex Naturæ intentione, non ſuccedit ſemper expulſioni fœtûs, non ſemper ipſius conatus, prægnantiſque molimina ſufficiunt. Ex parte matris, ſola ſæpè plethora difficilem facit fœtûs educ-

* *Propugnata, anno 1732, à Joan. Bapt.* CHOMEL DE JOINVILLE; *M. Ludovico* LEMERY *Præſide.*

tionem. Sæpè non exoneratâ prius vesicâ, comprimitur uteri orificium, fitque dilatationi impar. Quoties uterus situ perverso, prolapsu, cancro, ulcere, hæmorrhagiâ, aliisve morbis afficitur? totidem partus impedimenta. Ex parte fœtûs, si brachium, humerum, manus ambas, abdomen, thoracem, vultum, dorsi vel lumborum vertebras, anum, genua, pudenda, aliasve offerat partes; si ob varios funiculi umbilicalis implicitos orbes, diutiùs remoretur fœtus, si nimiâ mole caput exclusioni obstet, si fœtum pedibus extrahendo, caput à trunco separetur, in intimisque uteri penetralibus, hæreant tristes infantuli exuviæ; si tandem educto infante tenaciùs adhæreat placenta cum membranis; artificialis efflagitetur opera; sed iis tantum uti licet quæ partum adjuvent, quæ matri labem, quæ fœtui necem vel noxam non inferant.

I I.

MEDICINÆ auxilio semper indiget partus difficilis. Natura variis retenta impedimentis, languet, ni sublevetur. Ex parte fœtus, & ex parte matris videas quæ obstent, sed ex parte fœtus, & ex parte matris quid incurratur periculi attende. Si Anatomiæ fides, quid exquisitioris sensûs quam nerveo-vasculosa uteri substantia? Quid delicatius quàm infantuli membra? * Ne cultro, uncis, cocleis ferreis, laqueis, aliisve instrumentis horribilibus instructus accedas, matrem lædere, vivum infantem occidere, vel frustulatim extrahere, reformida. . . . . . . Non lignum tractas aut lapidem, &c. . . . . . . Uterus functione, substantiâ, connexionibus delicatissima pars respuit, quidquid eam lædere, aut ipsi officere potest; ipsa manus unguibus extremis, uterum lædit aliquando, quanto magis ferreis instrumentis læsio inferri potest, quippè non discernunt quæ sint tangenda. Sed fœtui noxam inferre nonne contremisces? Ille proprio matris stipendio nutritus, naturæ instructus, donis, lumen etsi ignotum appetens, in ipso vitæ limine necatur vel vulneratur. Nemo obstrepat, mortuo tantùm fœtu, instrumenta usurpari. * Fieri non potest, inquit Mauriceus, quin fœtui mors inferatur, ad vitam matri servandam, &c. . . . . . Partus uteri spasmis absolvitur, instrumenta dilatationis, contractionisque motus, nequaquàm persentiscunt, nequaquàm possunt tutò omnibus mederi impedimentis, & incommodis obviam ire.

* Deventer. de Arte obstetric. nat. c. 1, p. 12.

* De Partu natur. c. 19, lib: 11.

I I I.

IN difficili partu, vivo vel mortuo infante, exulanda veniunt instrumenta. Vivo reclamant omnia, mortuo vetant ratio & auctoritas. Si Chirurgus ut opem ferat laboriosè parturienti accersitus est, omnibus

ex arte priùs perpensis, naturam semper propiùs insequens, obviam cognoscat partem, eamque si operationi obstet, leniter propellat; ruptis membranis, fluentibusque aquis, manu, oleo vel butyro recenti inunctâ, quæritet interdùm pedes, pedibus adductis eos linteo tepefacto & tenui induat, ne aere exteriori humorum lædatur circuitus, & ut sit operatio facilior; vertat interim infantem sensim sine sensu, ita ut semper illius vultus, matris posteriora aspiciat; sic os maxillæ inferioris, materna pubis ossa non offendens, operationi haud obstabit. Cùm ad Thoracem fuerit deventum, leniter cum alternis manibus comprimendo, succedet caput quod adducere prudenter decet. Si tamen ob nimiam crassitiem remoram affert caput, solâ manuum vi & industriâ obstetricans potest premere ossa lateralia, & tunc capite complanato ob flexilem ossium connexionem, labori finis erit. Monstra ipsa ingenti suâ non impediuntur mole forasque integra amandantur. Hæc omnia non minus vivo quàm mortuo infante veniunt præscribenda. Mortuo etenim fœtu, putredo, sphacelus omniaque interitum comitantia, musculis & membranis, ligamentis ipsis firmitudinem adimunt; frustrà manus instrumenti duxerit, ea cui fuerit applicatum instrumentum pars, discedit subitò, & tunc alteram vellicas, attrahis, quæ tamen ferrum abhorret.

Sic innumeræ mulieres recto intestino vulnerato, vaginâ uteri perforatâ, vesicâ apertâ, urinam excrementaque alia per vaginam reddunt. Nonne manus erudita Medici prudentis adjuta consilio hasce vitaret ærumnas?

I V.

QUIDAM * contendunt vivum extrahi posse infantem unci ope, illudque instrumentum in auris cavitate ita firmiter adaptandum esse ut deinde sit facillima adductio. Ast uncus vi manuum tractus, ossa sæpe sæpius disjungit, disjunctisque ossibus, dentiformes ossium cranii processus quidquid obstat dilacerant. Sic Chirurgus * etsi solertissimus cùm unco usus esset, ut fœtus adduceret caput, uterum laniavit. * Diversam methodum sibi arrogat Chirurgus alter quâ instrumentum adhibet quod vocat *Tire-Tête*, sed quam vesana, quàm impia sit talis agendi ratio; unanimis est hodie consensus. Jure ac meritò arcendum est reticulum quo hærens fœtus caput comprehendunt *, illudforis veluti bursâ implicitum, attrahunt; res sanè facilis enarratu, sed in operando ardua. Cultros omnes effugiat obstetricans Chirurgus, non licet unquam discerpere fœtum ut sit matris securior status. Quidam laqueis admotis fœtui constringunt membra, ligata repellunt, & ferè semper ligatis pedibus, brachiis, ligato capite, nec tutior nec facilior

* Peu. Pratique des Accouc. liv. 2, p. 296.

* Portal, Pratique des Accouchemens Obs. 75.

* Mauriceau.

* Amand.

est operatio. Instat tamen periculum, labescunt parturientis vires; manus admoveatur; caput ipsum si à trunco separatum intus remanserit * Chirurgus digitos in ore infantis immittens, illud adducet. Sic juvabitur partus, matrique non inferetur labes.

* Viandel, p. 32.

V.

SED quid moror? nonne omnes conclamant obstetricantes? Mauriceus uncum Cachinnis excipit. *Peu* incusat Mauriceum quòd eo utatur instrumento quo vita fœtui adimitur. Nullus est consensus nec de instrumentis, nec de instrumentorum specie. Medicis recurrant obstetricantes. Præsto adest Medicina quæ convenienti auxiliorum usurpatione, naturam languentem excitat, vel nimis luxuriantem reprimit. Deventerius, in suo de arte obstetricandi tractatu, omnia rejicit instrumenta, solaque manu, sine instrumentis in quocumque partu omnes infantes educit. Tandem laqueis veniunt insperatæ luxationes. Unci vel hamuli usu, innumeræ mulieres cedunt fatis, infantesque prætiosissimis orbantur donis. Omnes igitur beneficiis fruantur Naturæ quæ manus suppeditans, eas ità fortitudine, solertiâ, sensu, instruxit, ut matribus non incutiant timorem, adstantium sibi concilient fiduciam, incolumem educant fœtum, naturam denique adjuvent. Videant ergo Consules ne aliquid detrimenti Respublica capiat, ex depravato artis usu, sentiantque omnes, instrumenta tàm fœtui, quàm matri esse noxia.

Ergo in partu difficili, manu potiùs quàm instrumentis utendum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius-Antonius CAILLE, *è Societate Medicâ Edimburgensi.*	*M. Joannes-Jacobus* NOLLAN.	*M. Claudius-Carolus* DEJEAN.
M. Philippus-Alex. BACHER.	*M. Benjaminus-Michael* SOLIER DE LA ROMILLAIS.	*M. Francisc.-Felicitas* COCHU.
M. Antonius-Laurentius DE JUSSIEU, *Eques, Regi à Consiliis & Secretis, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, in horto Regio Botanices Pro-Demonstrator.*	*M. Claudius* LAFISSE.	*M. Ludovicus-Maria* POUSSE, *antiquior Scholæ Magister, Eques & Censor Regius, in gremium Facultatis exceptus, anno 1732.*

Proponebat Parisiis ANTONIUS BOTTMAN, Warsavæus, Consiliarius Aulicus Suæ Majestatis Regis Poloniæ, Doctor Rhemus, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus.

A. R. S. H. 1788. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universit. & Facultatis Med. Typograph. 1788.